



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Cap. I. Origo piissimi cultus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)



Carolus Nanteur pinx.

Leone Meunier sculp.

LIBER PRIMUS

*De Origine, Progressu, & Natura cultus
Sanctissimi CORDIS JESU.*

CAPUT I.

Origo piissimi Cultus.



Ameti inter Sanctos viros,
qui actis retro sæculis florue-
re, plerique reperiantur, qui
studio singulari erga cor Je-
su affecti fuere: ut ex dicen-
dis apparebit. Atque adeo
cultus cordis Jesu, ex illa
quidem parte, antiquissimus
dici possit, tamen quia paucis dumtaxat hominibus,
iisque præcipuo quodam amore dilectis, hoc munus a

A Di-

2 DE CULTU SACROSANCTI

Divina Misericordia, olim concessum fuit; necdum in vulgus emanarat: fieri non potest, quin officium erga cor Jesu, quo de agimus, novum esse plerisque videatur: qui scire proinde cupient, unde factum sit, ut sic repente prodiret in publicum: quo authore? quo consilio? Præterea, quum reapse nova ratio, cordis Jesu colendi, nec usurpata prius, his temporibus afferatur: jure suo sciscitabuntur, quis novæ hujus rationis adinventor fuerit, quæve illius autoritas sit? Atque his ego quidem dubitationibus, satisfacere volens, antequam ad cultus naturam explicandam aggredior, pauca præmittere de illius origine cogor: eoque facio lubentius, quod ea prorsus ejusmodi est, ut maximam commendationem huic SS. Officio allatura esse videatur.

Cultus Sacrosancti cordis Dei Jesu, ejusque cultus tota ratio, modusque, ab ipso Jesu, privatim revelante ortum habet: inventor ipse Jesus est, idemque procurator ac promotor: ipse cultum ac venerationem peculiarem cordi suo adhiberi præcepit; modumque in eo cultu servandum præscripsit ipse divinitus. Neque jam super ea re prudentibus, ac gestoribus consciis, ullus dubitationi superest locus: explorata res est in Gallia, & pervulgata: ut autem exteris quoque, sit cognita, quemadmodum se res habeat, breviter narrabimus.

Ante omnia, hoc observare juvabit: quam multa sint in Ecclesia Catholica, religionis officia, aliaque omnis generis pia opera, ad Dei gloriam, Sanctorum cultum, animarum bonum, spectantia; quæ quum in singulis regnis, provinciis, ac pene civitatibus recepta jam ac stabili-

bili-

bilita sint; non aliam tamen habent originem, quam privatas revelationes: seu Summis Pontificibus, seu Episcopis, seu aliis Sanctis viris, aut foeminis divinitus injectas. Mitto Religiosorum ordinum, tam virorum quam mulierum, institutiones; quæ prope omnes Deo aut Virgine Matre revelantibus, initium accepere; uti ex fundatorum vitæ actis, ac propriis cujusque ordinis annalibus certissime constat. Mitto innumera, quæ in monumentis Ecclesiasticis passim occurrunt, ad Fidei propagationem, ad malorum Ecclesiæ impendentium liberationem, aut bonorum procuracionem conducunt, ab eodem fonte profecta. Hæc mitto, ut in rebus quæ proposito nostro magis congruunt hæreamus. Enimvero quot in Ecclesia celebritates, ac festi dies; quot devotionis officia, ac pietatis exercitia, fidelium usu ubique recepta, initium a privatis revelationibus habuere? Quid memorem festa inventionis Sanctæ Crucis; dedicationis Sanctæ Mariæ ad Nives; ejusdemque Virginis conceptionis, nativitatis, ac visitationis festivitates; Rosarii, ac Scapularis, solemnitates; apparitionem S. Michaelis Archangeli; inventionem Sancti Stephani; aliaque ejusmodi sexcenta, adeo nota & communia, ut pigeat his enumerandis immorari?

*Baron. in
notis. 2. foliis.
lii. 8. Sept.
8. Decemb.*

Verum inter omnes ejusmodi festivitates, quarum initia, privatae cuiusdam revelationi referri debent; una est, totâ Ecclesiâ, celeberrima, tam ad propositum nostrum accommodata, ut nefas sit, illam hoc loco præterire. Celebritatem dico Corporis Christi: in cujus institutione, tanta reperitur, cum ea de qua agimus, conformi-

mitas, ut mihi, utriusque originem, progressum, modum, successus, difficultates, incrementa attente consideranti, nihil omni ex parte similius esse posse, visum fuerit. Quod, ne temere a nobis dici, aliquis fortasse suspicetur; ab hac utriusque officii & solemnitatis, inter se comparatione, narrationem nostram auspicari operæ pretium duximus: persuasi nimirum, nihil aptius animis, ad ea quæ in decursu dicturi sumus, præparandis, afferri posse.

Igitur ex legitimis historiæ Ecclesiasticæ monumentis, duo, circa festivitatis Corporis Christi institutionem, pro certis habentur. Primum: Eam ortum sumsisse ex facta privata revelatione. Constat hoc punctum, ex ipsa institutionis Bulla Urbani IV. his verbis: *intelleximus olim dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam Catholicis divinitus revelatum, festum ejusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum.* Fuit autem hæc revelatio facta virgini Deo sacræ, nomine Julianæ; quæ postea in sanctorum numerum relata est: ejusque festus dies in 5. Aprilis incidit. Secundum: Hujus festivitatis initia, innumeris magnisque contradictionibus, ac difficultatibus paruisse. Rem totam a Scriptoribus Ecclesiasticis fusius traditam, paucis, pro ratione instituti nostri, contrahe-

Chapeauville de reb. Leod.

Bar. 1230.

Sed omnium fusissime Bolland. act. SS. 5. April. in vita S. Julianæ.

Vivebat juxta civitatem Leodiensem, suo clausa monasterio, Juliana virgo: quum Deus, qui humilitate delectatur, cujusque fermocinatio cum simplicibus, festivitatem Corporis Christi antea Ecclesiæ incognitam

tam

tam instituere volens, suum illud consilium humili ac simplici virgini communicare non est dedignatus: eidem una denuncians, se, in hoc exequendo consilio, illius operâ uti constituisse. Illa hac denunciatione percussa, rei que novitate attonita, simulque difficultatibus perterrita, reputans apud se quantum ejusmodi negotium, a fœminæ imbecillitate, monasterio præsertim inclusæ, omnique ope destitutæ abhorreret; revelationi sibi cœlitus immisissæ diffidens, ipsos viginti annos divinis impulsibus resistit; nemini rem concedere ausa. Verùm longiorem moram Domino non ferente, ac Julianæ conscientiam stimulare non cessante, veritas illa ne voluntati divinæ cum numinis offensione resisteret; hoc timore victa, rem demum totam confessario suo manifestavit.

Anno 1710
Bolland. ibid.
in Comment.
pr. xvio. s. 4.
& l. 2. vitæ
c. 2.

Erat ille Leodiensis Ecclesiæ Canonicus, vir pius, spirituumque discretionis gratiâ præditus: cui quum dudum nota esset Julianæ Sanctimonia, de veritate supernæ revelationis, adjuvante in primis divino lumine, dubitare minime potuit. Attamen ut in re tanti momenti certius ageret, placuit in consilium adhibere viros nonnullos pietate simul ac doctrinâ conspicuos. Hi mature perpensis omnibus, unanimi consensu confessarii sententiam probavere; communique etiam consilio ad divinæ voluntatis executionem impigre animum adjecere.

Anno 1230

Verum ubi primum rumor increbuit, agi de nova inducenda festivitate in honorem Corporis Christi in Eucharistia residentis; mirum est quas ille turbas rumor exciverit; quæ animorum contentiones extiterint; qui-

busve contradictionibus, impugnationibus, ac demum persecutionibus illi vexati sint, qui hujus consilii auctores, fautoresve sunt habiti.

*Apud Bol-
land. c. 3.*

Ita est, ita sane. Illa illa festivitas, qua vix ulla hodie in Ecclesia sanctior; nulla illustrior, nulla justior; nulla fidelibus acceptior, ac gratior; nulla utilior; nulla dulcior; non sic a principio habita, non sic accepta fuit: imo acerrime impugnata, summoque cum contemptu rejecta. Adeo ut historico coevo, qui turbas illas commentariis suis persecutus est, affirmare licuerit, *festivitatem illam positam fuisse in signum cui contradiceretur, innumerosque habuisse contradictores, & atrocissimos impugnatores.* Ubi illud quoque observandum duxit, in re nostra non omittendum, in eadem videlicet Clericorum congregatione in qua Deus defensores novae festivitatis elegerat, impugnatores ejusdem obstinatissimos extitisse. Julianæ revelatio quæ afferebatur, ceu delirium infirmæ mentis rejectum est. Ipsa Juliana gravissimis insectationibus exagitata ac vexata fuit. Qui vero ejus partes tueri visi sunt, stolidæ credulitatis infirmulari, variisque passim injuriis, probris, irrisionibus, laceffiri cœperunt: vix ut in sacro cultu promovendo quicquam agere, loquive palam, adversantium metu auderent.

Neque deerant obtrectatoribus argumenta quibus pervicaciam suam plausibilem redderent. Impugnabatur Sanctissimus cultus, ceu novitas actis retro sæculis incognita: eoque solo capite reprobanda. Inutilem præterea ac prorsus superfluum novam festivi-
ta-

tatem clamabant: quippe quæ jam celebraretur feria 5. majoris hebdomadæ in Cœna Domini: ac insuper quotidie in missarum Solemniis de institutione SS. Sacramenti commemoratio fieret.

Ipsam etiam nomen Corporis Christi, quod festivitati indicebatur, novam calumniandi materiam cavillatoribus subministrare aptum erat: objicere enim poterant (quod diebus nostris in re simili factum vidimus) vocabulo illo, nihil nisi materiale, Carnem Christi videlicet, fidelium devotioni proponi: cultus autem Christi Carni adhibitus, quid ad solidam pietatem conferre posset, non apparere. Veram ac Germanam Christianorum pietatem aliquid a materia, sensibusque magis discretum postulare. Præterea novo cultu ipsum quodammodo dividi Christum videri: qui quum totus quantus est, in Eucharistia sit; non carere superstitione soli illius corpori præcipuam, ac peculiarem venerationem adhibere. Denique si Corpori Christi colendo propria festivitas instituenda sit, idem pari jure faciendum animæ, divinitati, personæ; ac festa sine modo multiplicanda. His, similibusque rationibus, prout unicuique affectus, aut animi præoccupatio suggerebant, nova festi institutio acerrime, ac constanter impetebatur. Verum enim vero officium Sanctissimum Dei consilio susceptum, sæva licet tempestate jactatum, mediis quasi in fluctibus felicem, divina providentia dirigente, cursum tenebat: varia in loca sensim sine sensu penetrabat; veritas ejus, soliditasque discussis paulatim præjudiciorum tenebris agnoscebatur, diffundebatur, probabatur: imo
in

in ipsis etiam adversariorum animis, errore contrario paulatim depulso, prævalebat.

Episcopus Leodiensis primus omnium fuit, qui anno 1246. novam festivitatem, suffragio suo comprobata, sua in Dicecesi publicam esse voluit. Inde in vicinas provincias propagata: annis deinceps decurrentibus, in aliis etiam remotissimis recepta fuit; novis ubique contradictionibus obnoxia: donec Urbani IV. Summi Pontificis autoritate, universali Ecclesie anno 1264. multis adhuc reclamantibus, proposita est. Ac postea a Clemente V. in Concilio Vienensi anno 1311. confirmata, post annos a prima origine circiter octoginta, pacificam demum ubique possessionem obtinuit.

Jam, ad rem nostram veniamus. His porro, quæ modo narravimus, immorari tantisper oportuit, quia nativam eorum omnium imaginem referunt, quæ in festivitatis cordis Jesu institutione contigerunt. Rem totam paucis accipe, studiose lector, atque quum tacitus inter utriusque Officii initia, & incrementa, comparisonem institues, senties profecto unum ab altero, ne puncto quidem discrepare.

Vivebat Parodii (quod in Gallia, Burgundie ducatus oppidum est) Virgo Sanctimonialis nomine Margarita Alacoque, ex ordine S. Francisci Salesii a Visitatione B. Mariæ nuncupato: quæ virgo anno 1690. vita functa est. Fuit hæc vitæ sanctitate insignis, omnibusque cœlestibus donis mirum in modum cumulata. Quod ut omnibus certo appareat, adjiciemus huic opusculo codicem translatum, qui ab ipsamet virgine manu
sua,

sua, obedientia cogente, vernacule conscriptus fuit, in quo vitæ suæ seriem ad certam usque ætatem mira simplicitate complexa est. Adjungemus etiam nonnulla litterarum fragmenta ad eundem finem pertinentia; ac demum ad cumulum proferemus testimonia præsidum & antistitarum ejusdem virginis, illius sanctimoniam commendantium. Hæc omnia qui legerit, convincetur plane, hanc quoque Virginem inter cæteras Christi Jesu sponfas dilectissimas annumerari facile posse. Hæc igitur illa Sanctimonialis fuit quam Dominus Jesus eligere dignatus est, ut officio ad cordis sui cultum destinato initium faceret. Ac primo quidem, ut eam ad tantum opus præpararet, cœlestes quasdam ac mirabiles illustrationes in ejus animam immittere cœpit de Cordis Jesu excellentia, quibus illa in admirationem rapta, tanto illius SS.^{mi} Cordis amore exardescere cœpit, ut studio illius gloriæ procurandæ pene confici videretur. Nihil cogitabat aliud, nihil loquebatur aliud, nihil moliebatur aliud, nihil ardentius desiderabat, nihil postulabat vehementius.

Tum vero Jesus famulam suam hac ratione præparatam, cœlesti, ut solebat, visione recreatam admonuit, velle se cordi suo SS.^{mo} peculiarem cultum in Ecclesia suscitare, nova in eum finem solemnitate instituta: in negotio vero procurando, se ipsius opera uti constituisse, declaravit. Quantum lætitiæ ac voluptatis sacræ Virgini peperit nuncium de instituenda nova solemnitate, tantumdem mœroris ac timoris attulit ratio operis perficiendi, in qua videlicet, opera ejus desiderari

B

vide-

videbatur. Suæ namque tenuitatis apprime conscia, similes prorsus animi motus experta est, quas in B. Juliana vidimus. Timuit: filuit: divinis impulsibus, ac monitis multos annos restitit: donec conscientiaë stimulis, ac Numinis offendendi timore victa; quum animæ præsertim rectorem idoneum, quem illi Deus adiutorem destinaverat, nacta esset; omnia demum eidem aperire constituit.

Fuit is P. Claud. la Colombiere e Societ. Jesu, ille idem qui totâ hodie Europâ clarus est ac celebris, cum ob concionum excellentiam quæ publicæ luci donatæ magnos ubique fructus peperere: tum vero præcipue ob ea, quæ vivens præclare gessit, præsertim in Anglia, quò superiorum jussu trajecerat, Ducissæ Eboracensis postea Angliæ Reginæ a concionibus futurus. Quo munere vir Dei dum strenue fungitur, aliisque viro Apostolico dignis operibus incumbit, hæreticorum odio in carcerem truditur; ubi pluribus mensibus miserrime detentus, tandem extractus, tota Anglia in odium Fidei pulsus est. Unde in Galliam remigrans, confectus morbo quem ex assiduis laboribus, ærumnisque toleratis contraxerat, quatuor adhuc circiter annos ægre vitam protraxit; ac eodem denique morbo consumptus est: bonis omnibus magnum sui desiderium relinquens. Vir fuit omnium existimatione summo ingenio, summâque prudentiâ, eloquentiæ in primis laude conspicuus; sed quod caput est, singulari pietate ac vitæ sanctimonia præstans. Quæ opinio sanctitatis post mortem, ut in sanctis fere accidit, longe fuit illustrior: quum nempe
mul-

multa præclara, quæ ipso vivente ignorata fuerant, cognoscere demum licuit: inter quæ non infimum tenere locum videtur arduum illud, dignumque tali viro votum, quo sese Deo obstrinxerat, summæ perfectionis assequendæ, in absoluta omnium societatis nostræ constitutionum, ac regularum observatione.

Hunc igitur talem, tantumque virum, ut dicere cœperam, Christus Jesus prædictæ virgini adjunxit pii operis focium. Verum hæc provincia qua ratione tum dictæ virgini, tum P. Claudio a Deo demandata sit, ex illis ipsis cognoscere operæ pretium erit: rem enim totam scripto testatam reliquere. P. Claudius in certo codice in quem cœlestes illustrationes referre solebat, sibi a Patre luminum immissas, eo maxime tempore, quo exercitiis spiritualibus juxta morem Societatis nostræ operam dabat (qui codex ob rerum præstantiam editus est in lucem) in illo inquam codice, dum in Anglia jam esset, hæc instinctu Numinis scripta ad verbum reliquit.

His spiritualibus exercitiis finem imponens firmissime animo decrevi, omni studio curaque in id incumbere, ut quod Domini jussu mihi præscriptum fuit, executioni mandetur. Gratia siquidem dulcedine ineffabili modo delibutus, cognovi penitus sensique, Deum opera mea uti velle, in negotio sibi acceptissimo procurando, quod totum pertinet ad certum quoddam religionis officium, Christum Jesum in altaris Sacramento respiciens; cujus officii rationem, Dominus Jesus personæ sibi in primis charæ, peculiari revelatione

„ manifestare dignatus est . Plerosque ego jam in Anglia
„ ad hocce piissimum officium amplectendum, Deo adju-
„ vante, feliciter permovi : litteras quoque ad amicum in
„ Galliam missi; rogans, ut ad hoc idem quos posset indu-
„ ceret : quod utique ad Dei gloriam maxime cessurum
„ confido, ob ingentem vim animarum magna pietate
„ præstantium, in eo loco ac communitate degentium .
„ Quin possum, o mi Deus, ubique terrarum versari,
„ quodque a servis & amicis tuis jure tuo expectas, apud
„ omnes gentes prædicare ! Cum igitur Deus consilium
„ suum dictæ personæ declarasset; ipsaque ad me retulisset;
„ quæ referebat, scripto ut traderet jussi : quæ ego rursus
„ in hoc exercitiorum meorum diario describere non sum
„ gravatus . Siquidem Deus hoc negotium curis etiam
„ meis vult promoveri .

„ In hunc ergo modum illa rem totam, scripto manu
„ sua confecto, complexa est . Die quodam infra octavam
„ Corporis Christi, cum orationi, coram Sanctissimo Sa-
„ cramento vacarem, cœlestibus gratiis a Domino meo
„ supra modum omnem repleta sum . Ego vero quum
„ pro tantis beneficiis aliquid pro tenuitate mea repen-
„ dere ardenter cuperem ; votis meis Dominus annuens,
„ nihil inquit, præstare potes, quod mihi futurum sit ac-
„ ceptius, quam si illud perficias, quod te sæpius antea
„ monui . Tum cor suum Sacrosanctum detegens: vides
„ inquit cor meum : Cor illud tanto hominum amore
„ succensum, ut nihil prætermiserit, viribus exhaustis
„ penitus atque consumptis, quo amorem hunc immen-
„ sum certissimis signis testatum eis relinqueret . Eorum

ta-

tamen pars maxima usque adeo se mihi gratos, amicosque non exhibent, ut me etiam injuriis, contumeliisque in hoc amoris mysterio assidue laceflant. Quod eo etiam acerbius accidit, quod a personis mihi dicatis talia quoque pati cogor. Itaque a te requiro ut feria sexta, quæ post octavam festi Corporis mei proxima tequitur, cordi meo colendo peculiariter sit dicata, qua die ad Sacram mensam accedendo, injuriæ cordi meo in altaris mysterio inflictæ, eo maxime tempore, quo palam fidelium venerationi expositus sum, violati honoris reparatione sarciantur. Et quidem spondeo, eos omnes qui hoc honore cor meum afficient, ipsius divini cordis influxu coelestium gratiarum copia fore cumulandos. Tum ego: heu Domine mi, heu, quam tandem adhibere vis consiliorum tuorum adjutricem! Me nimirum cujus summa vilitas, ingensque peccatorum numerus, successum potius impediunt, sane quam juvabunt: præsertim quum tot alii e famulis tuis præsto sint, qui operam suam in eo quod cupis strenue navent. Tum Christus: an vero imprudens ignoras, infirma mundi me eligere solitum, ut fortia confundam, meæque esse sapientiæ, imbecilles homines in consiliis meis exequendis adhibere, ut nimirum quum ipsi sibi nihil adscribere valeant, potentia mea gloriosius manifestetur? Rationem igitur, Domine mi, viamque demonstra jussa tua perficendi. Jesus autem: adi inquit, ad servum meum N. eique meo nomine refer, ut omni ope connitatur, quò hoc religionis officium stabiliatur: futurum hoc cordi meo gratissimum. Ne vero despondeat ani-

» mum propter impedimenta quæ multa occurrent su-
 » peranda: namque scire debet, eum omnia posse, qui
 » sibi prorsus diffidens, fiduciam suam omnem in me
 » uno, spemque collocat. Hactenus P. Claudius.

Ille vero eximia pietate vir, spirituumque discernen-
 dorum magister peritissimus, quum virginis sanctitatem
 haberet perspectissimam, nullamque fraudem in eo
 quod agebatur suspicari omnino posset: mandatum
 Domini sui excepit ea reverentia, qua par erat, cultum-
 que deinceps cordis Jesu pro virili parte promovere,
 quoad vixit, non destitit. Modicum tamen piissimus
 cultus eo vivente progressum habuit: seu quod Dei fa-
 mulus paulo post in Angliam, uti dictum est, trajecerit:
 seu quod ex Anglia redux, quatuor dumtaxat annos
 continuis morbis afflictatus superstes fuerit: seu denique
 propter impugnantium morositatem, qui ea novitate
 offendi videbantur, ac ne induceretur resistebant. Ve-
 rum enim vero Deus opus suum quod cœperat imper-
 fectum non dereliquit; uti cap. sequenti videbitur.

CAPUT II.

De progressu Sanctissimi Cultus.

Patre Claudio La Colombiere e vivis sublato: scri-
 pta illius opera publicæ lucis dignissima paulo post
 edita sunt: inter quæ memoratus ille codex est repertus,
 qui admirabiles plane pietatis sensus continens, summa
 aviditate a populis exceptus est, atque etiamnum piorum
 ma-